



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

202. An Sacerdos consecrando vinum congelatum peccet mortaliter? Ex quo infertur peccare Ministrum vtentem materia dubia, vel forma dubia, omittendo certam, etiamsi sequatur opinionem de veritate & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

duda si el vino adobado con cosas odorosas, y con cosas semejantes, es materia deste Sacramento que se pueda consagrar. Se responde, que si la mezcla desta cosa es tanta, ò el cozer con ellas de tal calidad, que corrumpe la substancia de vino, no sera materia deste sacramento. Y para ver quando la corronpe totalmente, se hà de acudir à la experiencia de los sentidos, y al juyzio de los hombres prudentes. Y lo mismo se ha de dezir del vino aguado, y de vn vino que llama agua pie. Pero ha se de auertir, que consagrar en estos liquores, que ay duda si son materias deste Sacramento, es pecado mortal de sacrilegio.] Ita ille.

RESOL. CCII.

An Sacerdos consecrando vinum congelatum peccet mortaliter?

Ex quo inferitur peccare Ministrum videntem materia dubia, vel forma dubia, omitiendo certam, etiam si sequatur opinionem de veritate, & sufficientia probabilem, aut speculatiue probabilem.

Et notatur, quod si vinum prius fuerit congelatum, & postea liqueat, non est improbabile licite consecrari, quamuis minus decenter.

Et quid est faciendum, si vinum in Missa ante consecrationem, etiam post oblationem congeletur, an tunc debeat Sacerdos aliud de nouo infundere, & oblatum consecrare? Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Ref. 8.

Negatiuam sententiam ex Vasquez docet Galpar Hurtadus de Euch. disp. 10. diff. 10. in fine, vbi sic ait: Addit Vasquez, n. 18. non esse peccatum in vino congelato consecrare, quamuis hoc sit contra consuetudinem Ecclesie, quia non fit contra prohibitionem aliquam latam, neque dicta consuetudine introductam, quia non seruat tanquam necessaria, & obligans. Ita ille; & post illum nouissime Tamburinus Opus. de sacrif. Missae, lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 14.

2. Sed hanc opinionem minime admittendam esse puro: nam licet Ego alibi cum multis Doctoribus firmauerim, vinum congelatum esse materiam Sacramenti Eucharistiae; tamen contrariam Sententiam esse probabilem, non est dubitandum, & illam absolute præter Armillam, Martinum Ledesinam, Cardinalem Alanum, Henriquez, & alios, firmant nouissime Magister Araujo, nunc merito ad Episcopatum assumptus, in 3. part. quest. 74. art. 8. num. 52. & ex Societate Iesu Sapientissimus Lessius etiam in 3. part. quest. 74. art. 5. num. 24. Ergo si quis consecraret in vino congelato, consecraret in materia dubia, vt obseruat Syluius in 3. part. quest. 74. art. 5. Fagundez præcepti. 3. lib. 3. cap. 3. num. 10. & alij. Ergo peccaret mortaliter: nam rectè obseruat Amicus in Chryso Theolog. tom. 6. disput. 16. sect. 3. num. 36. numquam esse licitum in materia Sacramentorum, relicta materia certa, vt probabilis, & minus certa, quando certa commodè haberi potest, tum ob periculum frustrandi Sacramentum, cum hoc non tam pendeat ex opinione hominum, quam ex institutione Christi; tum ob damnum spirituale, quod inferre proximo, priuando illum fructu Sacramenti: eoque peccatum est maius, quò Sacramenti vsus, & fructus ad salutem est magis necessarius. Ita ille, cui adde Mercetum de Sacrament. quest. 60. artic. 8. questionis 3. vbi sic ait: Sequitur, grauius peccare ministrum videntem dubia materia, vel forma, omitiendo certam, etiam si sequatur opinionem de veritate, & sufficientia probabilem; aut etiam speculatiue pro-

babiliorem. Ratio est, quia in hoc casu, minister exponit se periculo nihil faciendi, quod est Sacrilegium. Vt enim Sacrilegium est ministrare Sacramentum fictum, & falsum, ita quoque sine causa exponere se illi periculo; quia in moralibus perinde est quippiam facere, & exponere se periculo id faciendi. Hæc Mercerus. Vide etiam Iacobum Marchantium in Resol. Pastor. de Sacrament. tract. 1. cap. 1. quest. 3. Opatonium de Sacrament. in communi, disp. 1. quest. 5. num. 43. Araujum in 3. part. D. Thomae, quest. 60. art. 8. dub. 4. n. 42. Medinam in part. 2. q. 19. art. 6. Filiensem in Idea Sacram. cap. 2. Resol. 3. Dicastillum de Sacram. tom. 1. tract. 1. disp. 1. dub. 8. n. 113. Filiucium tom. 1. tract. 1. cap. 4. n. 69. P. Lugo de Sacram. in genere, c. 1. quest. 4. n. 55. Bonacinam, de Sacram. disp. 1. q. 2. p. 2. num. 32. qui citat Henriquez, Coninch, Valentiam, Nugnum, Reginaldum, & Suarez.

3. Confirmatur hæc opinio: nam Sacerdos consecrando vinum congelatum, violaret consuetudinem totius Ecclesie in vino liquido consecrantis. Hanc autem consuetudinem non obligat ad mortale, est negandum; nam est consuetudo in re graui, que versatur circa materiam ipsius Sacramenti, & habet omnes alias Præsumptiones, quæ indicant (vt alibi à nobis probatum) ipsam habere vim legis, vt obseruant vno ore Doctores omnes. Et ideo hanc sententiam ego olim docui, & me citato docet Leandrus de Sacrament. tom. 2. tract. 7. disp. 8. quest. 37. & me citato Martinus de San Ioseph in Aus. de Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 2. n. 12. quibus adde Coninch de Sacram. quest. 74. art. 5. n. 127. Ochagauiam de Sacram. Euchar. tract. 1. quest. 9. n. 7. Garciam in Summa Theol. mor. tract. 3. diff. 9. dub. 1. punct. 2. n. 14. Serram in 3. part. D. Thomae, quest. 74. art. 5. Fagundez Præcepti. lib. 2. c. 3. num. 10. Mercetum de Sacram. quest. 74. art. 3. num. 4. Villalobos in Summa tom. 1. tract. 7. diff. 7. num. 2. Suarez tom. 3. disp. 45. sect. 1. Vviggers de Sacram. in 3. part. quest. 74. art. 5. n. 41. & Castrum Palatum tom. 4. tract. 21. punct. 4. n. 8. Et tandem Reuerendiss. Magister Candidus tom. 3. disquis. 2. dub. 42. n. 55. concludit, esse immane Sacrilegium in vino congelato consecrare: quod iisdem verbis ante illum docuerat etiam Sotus in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. in fine.

4. Sed audiamus verba aliquorum Doctorum, Ioannes Præpositus in 3. part. quest. 74. art. 5. n. 49. sic ait: Aduerte tamen, non posse sine graui peccato vinum congelatum consecrari, tum quia prior sententia non est planè improbabilis, & merito censeri potest materia dubia, vt docent varij, quam non licet in hoc Sacramento sumere propter aliqualem necessitatem, quæ possit videri excusare; tum quod sit contra consuetum modum procedendi Ecclesie in re graui.

5. Franciscus Araujo in 3. part. quest. 74. art. 8. dub. 1. num. 52. vinum congelatum non potest licite consecrari propter consuetudinem in contrarium, quæ habet vim legis: necnon quia propter probabilitatem contrarie opinionis, Consecrans exponeret se periculo non consecrati Sacramentum, quod semper vitandum est, nisi fortè in casu grauis necessitatis.

6. Raphaël Auersa de Sacram. Euchar. q. 2. sect. 5. Fatendum est, illicitum fore consecrare Vinum acti existens congelatum. Quamuis enim Vasquez n. 18. dicat, Auctores affirmantes, posse tale vinum valide consecrari, debere etiam concedere, posse licite; quia nullo præcepto id prohibetur: tamen ob dubium aliquod validitatis ex parte opposita, & ob reuerentiam Sacramenti, & consuetudinem Ecclesie, dici debet id esse illicitum. Non est igitur, vt dixi admittenda opinio Hurtadi, & Tamburini.

etiam §. vlt. ad medium, vers. nimirum, supponetes. & in tom. 8. tr. 1. lege doctrinam per totam Ref. 5. & si vacas otio vide alias eius notationum.